



247  
(6)

ANNUENTE GRATIA DIVINA.  
NOBILIUM QUÆSTIONUM  
ETHICARUM DECAS VI.

*De*

TEMPERANTIA

*Quam*

*In inclytâ VVitebergensium Academia,*  
SUB PRÆSIDIO

*Clarissimi atq; Excellentissimi Viri*

M. HENRICI VELSTENII,

Philos. Moralis Prof. Publ.

*Defendere conabitur*

BARNSTORFFIUS BARNSTORFF.

*Ad diem 4. Julijhoris locoq; consuetis.*

Seneca Epist. 28.

*Nobis quoq; militandum est, & quidem genere mi-  
litia, à quo nunquam otium datur. Debellanda  
sunt imprimis voluptates, qua, ut vides,  
seva quoq; ingenia rapuerunt.*

WITTEBERGÆ,

Typis Joh. Gormanni, Anno 1610.



**VIRI**  
**AMPLISSIMIS, PRUDENTISSIMIS,**  
*authoritate, multoq; rerum usu præ-*  
*stantissimis,*

Dn. SEBASTIANO Störefen } Reip. Hannoveranæ  
Dn. JOHANNI Polman, } inclutæ Senatoribus  
} dignissimis ac meri-  
} tissimis.

Dn. LAURENTIO Wolckenhar / Aerario Ecclesiasti-  
co S. Crucis, Hannoveræ quod est, longè  
dignissimo.

Dn. BARNSTORFFIO Witten. } Ejusdem reipub-  
Dn. JOHANNI HOLSTENIO, } blicæ civibus spe-  
} ctatissimis.

*et c.*

*Spectate fidei, eximiaq; experientia viro*  
Dn. CORNELIO Hans Rodt.

*Dnn. Evergetis, affini, Patronis consanguineo & pro-*  
*motoribus suis magnis debito observantia*  
*cultu honorandis,*

Exercitium hoc Philosophicum in gratæ mentis  
debitaq; observantiæ signum suiq; promo-  
tionem inscribit & offert.

*Barnstorffius Barnstorff.*

*Autor & Respondens.*



De  
TEMPERANTIA.

QUÆSTIO I.

Quid temperantia, quodnam ejus ob-  
jectum, quæ extrema?

**D**E fortitudine prægressâ disputatione egimus; nunc ad Temperantiam digredimur, quam Cicero omnium virtutum fundamentum jure meritoq; appellavit. Tolle hanc, & nihil boni non dico agere, sed ne cogitare quidem potes. Da mihi hominem intemperantem, eumq; in hujus mundi circulo colloca; ad quæ hominum officia; ad quos usus erit idoneus. Desiderabit quispiam belli ducem? nunquam aliquem quæret, qui à gula, à potu, à rebus Venereis vincitur. Amicum quis optat? Intemperantem nisi intemperans nemo eligit: quid? quod ne servum quidem acceperit intemperantem. Digna ergo & hæc virtus quam studiosè contemplemur: id quod hac vice facturi. nunc ejus definitionem, objectum & extrema inquiremus; de reliquis verò in subsequenti-  
bus questionibus agemus. 1. Definitur Aristoteli μεσότης  
ἢ εὐδονία καὶ λύπη. Mediocritas circa voluptates & dolores, hoc est, quæ mediocritatem servat in expetendis, & fruendis voluptatibus, aut perferendis ijs dolo-  
ribus,

ribus, quæ ex rei jucunda privatione animo concipiuntur. Arist. 3. Nicom. cap. 10. Goclen. l. 3. Eth. c. 10.

2. Objectum temperantiæ, sunt voluptates corporis (propter animi enim voluptates *nemo propriè & per se temperans vel intemperans dici potest: etiamsi in illis expendis modum servet, aut non servet, Arist. l. dict.*) quæ afficiunt gustum & tactum, præcipue verò quæ afficiunt tactum, & percipiuntur ex cibo, potu, & venere.

1. Quia hæ voluptates, communes sunt homini cum brutis animalibus. Deinde quia solum propter earum moderatum, vel immoderatum usum, homines propriè dicuntur esse temperantes aut intemperantes. Tertio quia ab homine expetuntur, non quatenus est homo, id est, ratione & mente præditus; sed quatenus est animal sensu præditum. Quarto quia temperantiæ proprium officium est, appetitum hominis moderari, ne in illis expetendis, aut persfruendis modum excedat, ac bestiis similis evadat. vide Gol. p. 142.

3. Extrema temperantiæ duo sunt, quorum unum consideratur in excessu, & nominatur ἀκολασία intemperantia. Alterum in defectu & nominatur improprio vocabulo ἀναίδησία, sensuum stupor. Illud est vitium, quo citra delectum, quævis voluptates, nullâ habitâ ratione honestatis, immoderatè expetuntur. Hoc, ut Cicero in partitionibus ait; est immanitas quædam in aspernandis omnibus etiam necessariis & honestis voluptatibus. Hoc vitium quia alienum est à naturâ humanâ, quâ ut doloris ita etiam voluptatis sensu est prædita; ideo etiam certo & proprio nomine caret.

## QUÆSTIO II.

An, ut vult Scaliger, voluptas suis finibus contenta divina res sit?

Scaliger exerc. 359. f. u. & alijs passim in locis, hanc habet

habet sententiam pro qua ita pugnamus: I. *A DEO non nisi bonum: à DEO omnis perfectio. A summo enim bono non potest aliquid vel fieri vel conservari non bonum. Scal. exerc. 248. lect. 3. Atqui jam à DEO voluptates earumq; cupiditates sunt indite. Ergo. Assumptio à nemine nisi qui fungum pro cerebro & peponem pro corde habet negari potest; veritas autem ejus ex hisce quodammodo clarior elucescit. Sapientissimus creator omnibus omnino animantibus voluptates initio indidit; & quidem hoc 1. ob individui conservationem, id est, singulorum hominum & animalium per se, ut est cupiditas alimenti seu nutrimenti. Deinde ob conservationem speciei, ut species singulorum animalium conserventur: cujusmodi est propagatio sobolis voluptas, Immutum igitur stat, non esse vitiosas. II. Natura nihil agit frustra, Arist. l. 1. de cœlo c. 4. con. 32. Nam omnia quæ in nobis existunt, utilitatis causâ sapienter à naturâ sunt comparata. Scal. exerc. 209. f. 2. Est enim sapientissima. exerc. 77. f. 5. Quam, si quis putat inconsultò quicquam agere, ridebitur ab Aristotele explodetur à Platone, Galeni jussu vapulabit, Scal. exerc. 68. f. 1. Atqui jam voluptates earumq; cupiditates nobis à naturâ sunt insite: In hoc quippe natura solertiam admirari licet, quæ ad unum minus principale (nempe ad voluptatem) nos apertè reddidit proclives, ut simul latenter ad præstantius nos dirigeret, idq; facit quoniam finis ejus minime cadit sub sensum. Piccol. gr. 9. c. 22. Et si hæc non allicerentur homines voluptate, quotusquisq; coire vellet, Scal. exerc. 286.*

*Quis igitur nisi insanus voluptates vitiis annumeret, cum à naturâ ipsâ, (quæ est cœlestis genius) intenta & apparatus sit? quid quod hujus dulcedine qui invitati ad usum suarum facultatum reddantur alacriores, & labores eorum, qui ex usu prodeunt, minuuntur, Piccol. gr. 9. c. 19.*

A 3

III. Ratio-

III. *Rationibus ante positis accedit etiam voluptatis definitio, ex qua ipsa ejus essentia patebit. Hanc autem dat Scaliger. Voluptas est: rei convenientis perceptio, Exerc. 299. sect. 2. vel: voluptas est actionum extrinsecus adveniens perfectio, quæ ipsas actiones gratiores & jucundiores nobis reddit. Arist. 7. Eth. c. 7. Hinc liquido constat, voluptatem esse optimum quid, si modo suos intra cancellos retenta manet, sententiâ idcirco hac Scaligeri vera est: Suis contenta finibus divina res est voluptas.*

QUÆSTIO III.

Quomodo voluptas, cum res bona sit, depravetur?

*Rem omnem uno verbo sic habeto: Alio fine rapta voluptas priorem amittit formam, sed quomodo fortè quaris? Paucis: Defectus peccat, peccat & excessus, medium tenuere beati. Depravatur autem non ab accessionibus propriæ naturæ, sed æquivocis. Non crescit; sed vitatur, atq; diversi generis appositione contaminatur. Nul- lum quippe bonum sui ipsius incremento essentiâ propriâ defraudatur. Scal. exerc. 299. Ergo si aliorum spectet potus quàm ad liquefactionem, attenuationem, lubricationem, delationem, cibi succive suapte natura, crassioris ex suis exit finibus neq; amplius est voluptas, Scal. loco cit. Pessimè igitur hodie sunt homines bachicis sacris planè mancipati: strenui quidem illi bellatores, sed cantharo bibendi gloriâ potissimum; qui nil nisi simplicissimum illum liberi florem charum estimant, non sitis levande gratiâ, sed quò se suosq; suorum & aliorum pantices ita madefaciant, ut nunquam nisi distenti, sufflatiq; ex tricliniis excedant, sed hi *ἄσπιτοι* naturam non recreant sed necant, non reficiunt, sed interficiunt. At hic homo rectè constitutus & affectus, quod est principale  
pre-*



præcipuè expetere debet, quicumq; autem in solâ voluptate per-  
sistit, rerumq; finem negligit, jumentorum vitam vivit,  
Piccol. gr. 9. c. 22.

#### QUÆSTIO IV.

Nunquid licitum & honestum quandoque vi-  
num ad ebrietatem bibere?

Graia eloquentia fons & parens Demosthenes Philo-  
crati & Æschini Philippum laudantibus, quod strenuè bibe-  
ret, tale responsum dedit: Idem & spongia facere potest.  
Aristippus quoq; jactanti, quod multam biberet, nec tamen  
inebriaretur; quid inquit magni narras? cum idem quo-  
que faciat mulus. Ebrietatem igitur ut vitium maximum  
veteres detestati sunt. Nec immeritò, quia contraria-  
tur 1. Bonis moribus, unde eleganter Philippus in  
Epigrammate;

Me miserum ipsa suâ germana modestia sede  
Exulat, & luxus virtutem ejecit a vitam,

2. Opibus: Nam luxus populator opum cui semper ad-  
hærens

Infelix humili gressu comitatur egestas.

3. Naturæ obest: Officit enim tam animo quàm corpori.  
Nam animus non est in potestate suâ, ebrietate devictus. Se-  
neca. Hinc nihil altum, nihil magnificum ac divinum sus-  
cipere possunt, qui cogitationes abjecerunt in rem tam hami-  
lem tanquam contemptam. Tullius in Lælio. Quare tempe-  
rans sibi maximè cavet ab hoc vitio, sed, inquis: si ad potan-  
dum à meccœnatibus & magnatibus, quis cogatur, quid  
faciet? Quamvis non ignoremus tempori interdum inser-  
viendum esse & quia homines sumus, conversationem in to-  
tum nos abjicere non posse: Non incommode tamen respon-  
si loco.

si loco illud Socratis de convivis, quos ad sese vocabat, dari potest; Si boni, inquit, satis apparatus; si mali plus quam satis. Eundem in modum, si boni sunt, qui te invitant, non te cogent, ut cum naturæ detrimento te ingurgites, si mali, non est quod eos offendas. *Addimus & hoc distinguendum hic esse inter ebrietatem saturitatis & hilaritatis, temulentia & insaniam, quæ in ebriositatem tandem abit. Hac nusquam concedenda, illa nunquam toleranda.*

QUÆSTIO V.  
An ebrietas excuset peccatum?

Historiographi suis passim in scriptis Græcos ebrietatis accusant, & quod plurimum opera vitio huic impenderint, detestantur. Quippe ut hospites eò magis ad bibendum urgeri possent, poculis utebantur rotundis, quæ cum non starent, semper promovenda erant. Mos ille pessimus dudum jam à Germanis in morem revocatus, qui plus quam Græci olim, græcantur & hoc ad primè tempore ubi nobis germanis vitium vix aliud familiarius, ita, ut ne quidem pro vitio reputetur: si quis diem noctemq, potando continuet, quid? quod sepe numero ebrietate devicti, parrati sui delicti magnitudinem, hujus vitij specie excusare non erubescant. Propter quod etiam apud alios malè audiunt, conquerente Imperatore Maximiliano: Solche laster hat den Teutschen bey allen frembden Nationen merckliche verachtung vnd verkleinerung verursacht/ Et D. Melanchthone:

Wir Teutschen / wir sauffen vnd fressen vns arm vnd franck / vnd in die helle hinein.

Cæterum alij nihil excusationis admittunt, si quid per ebrietatem committatur. 1. Quia quorum peccatorum principium est in nobis, propter ea merito castigamur.

gamur. At horum, quæ ebrij designant, principium est in nobis. Poterant enim à vino abstinendo ebrietatem vitare, & per consequens facinus illud, quod ebrij designarunt. Ergo ZWINGERUS in tabulis in Eth. Nicom. p. 150. II. Peccatum peccatum non excusat, sed potius aggravat. Omne enim simile additum simili reddit illud magis simile.

At qui flagitium commissum per se peccatum est, huic se adjiciatur ebrietas, potius peccatum augebitur, quam imminuetur. Ergo ebrietas peccatum excusare nequit. Hinc PITTACUS olim temulentos, si quid flagitij commisissent, duplo graviore pena plecti jussit; Laert. l. i. in vita Pittaci. Quia unam subire propter ignorantiam, quæ est crassa & supina, altera verò est propter culpam commissam, quæ est intoleranda. III. Accedunt præterea & vatum oracula, quæ æternum deus denunciant, qui in potationibus strenuos se præbent, hæresq; jactitant. Esa. 5.

Pro quæstionis determinatione distinguimus inter ebrietatem, quæ est vel saturitatis & liberalitatis, vel est alia temulentia & insaniam; illa interdum excusationem meretur, & sic accipiendum est illud JCTORUM, Ebrietas excusat à tanto & non à toto. Hanc condemnamus imò ob hanc penam exasperandam asseveramus.

#### Q U Æ S T I O VI.

Qui fiat quod lis sit cum forma magna pudicitia?

Quod lis sit magna cum forma pudicitia, sit partim ratione parentum, partim ipsarum puellarum. Ratione parentum i. quia si ad pravam naturam prava accedit parentum institutio, vix erit quod speres; Institutio e-

E

nim

*nim qualis qualis sit natura fidem facit & addit, Scal. l. 3.  
Poet. c. 118. Jam verò parentes non pauci ut filias suas for-  
mosiores conspiciant, à laboribus domesticis arcent, non igno-  
rantes quòd corporis forma assiduis laboribus minuatur, &  
absumat, ut testis est Aristot. 8. Polit. cap. 4. At ve-  
rò filiola otio & libidini sic sensim assuetæ, ad cupidinem ple-  
no pro ruunt impetu. Nihil enim ageudo malè agere  
discimus. Vos itaq; quibus bellulas vestras gnatas ociari,  
hincinde discursare, & laxatâ fenestrâ venaturam oculis fa-  
cere volupe est, scitote, quod per otium & supervacaneas co-  
gitationes, oculus aberrare, mens perturbari, voluntas de-  
pravari solet. Idcirco tale cum Pontano filiis vestris re-  
medium datote.*

*Disce latere domi, patulisq; sedere fenestris  
Effuge, nec visu sis vagabunda tuo,  
Nam veluti volucres diversis nutibus ora  
Dum vertunt, nidos deseruisse volunt.  
Sic vaga dum vario dispersit lumine visu  
Foemina, iam castum vult violare torum.*

*II. Accedit dum sibi nimium in suis filiolis placent, si-  
bi gratulantur, sic tantò plures habeant amasios & petito-  
res, unde & quibusvis concedunt imò adjuvant sæpè acces-  
sum. Atqui difficilè custoditur, quod plures a-  
mant.*

*Ratione puellarum & virginum. I. Quæ per  
naturam magis sunt credulæ, dum omnia quæ dicuntur,  
seriò dici, idq; propter formæ elegantiam sibi imaginantur,  
nescientes misellæ illæ, quid distent amatores veri à fua-  
tis. II. Accedit & hoc, quòd sint ingeniosiores, &  
sagaciores formosæ illæ reliquis. Jam verò cum ad quas-  
vis*

vis voluptates sint enutritæ, nec istum naturæ impetum, aureo Palladis freno, hoc est, rectâ ratione coercere possint, sit ut tantò ferventiùs & vehementius inflammentur, quanto callidius suum delictum impunè tegere possunt.

## QUÆSTIO VII.

### Utrum aliquid discriminis cibi & potus?

Maximè credibile est, Patriarchis ante diluvium non carnes sed herbas tantùm, & fructus terra permissos & concessos fuisse. Gen. 1. vers. 29. Post diluvium carnes permissæ sunt, sanguine tamen interdicto. Gen. 9. Chemnit. parte 4. Concil. Trident. fol. 96. Ab eo tempore ciborum distinctio mandata fuit, ut eorum alij mundi, alij immundi essent, Deut. 14. Levit. 12. Chemnit. l. d. quæ distinctio valet ad Christi mortem usq; idq; quoad conscientiam propter legem divinam: at nunc in Novo Testamento, quoad conscientie obligationem, plane sublata est, & liber omnium ciborum usus concessus. I. Quia hoc scriptura passim docet Act. 10. vers. 15. Quæ DEUS purgavit, ne tu polluito. Rom. 14. vers. 17. Non est regnum DEI esca aut potus; sed justitia, pax & gaudium, per spiritum sanctum. Nam qui per hæc servat, Christo gratus est & DEO & acceptus hominibus, 1. Cor. 8. v. 8. Esca nos non commendat DEO, Col. 2. v. 16. Ne quis damnet ob cibum vel potum, & vers. 20. si mortui cum CHRISTO estis, quid ut viventes in mundis ritibus oneramini? ne cederis, neq; gustaris, neq; attigeris. II. D. Apostolus 1. Tim. 4. vers. 3. Dæmoniorum doctrinam appellat, quæ jubet abstinere à cibis, quos DEUS creavit ad sumendum cum gratiarum actione, fidelibus, & iis qui cognoverunt veritatem. Quòd quicquid creavit

**D**EUS; bonum sit, & nihil rejiciendum, si cum gratiarum actione sumatur. III. Christianæ libertatis pars est, libertas tem conscientia retinere, de rebus omnino adiaphoris & proinde de cibo & potu. Perkinsius l. 3. cas. conscientia p. 501. Ex his apparet Pontificem Romanum, totumq; cœtum Cardinalium & Episcoporum & Sacrificorum & Monachorum, certa ciborum genera prohibentium, his suis dogmatibus toti mundo probare, quòd sint spiritus impostores, & falsiloqui, de quib. Apostolus in spiritu Sancto I. Tim. 4. v. 3. vaticinatus est; Nec se purgabunt hoc cavillo quo olim quidem cibi omnes concessi fuerint, nunc autem auctoritate Pontificis sint prohibiti. Apostolus enim non tantum suo tempore, vult neminem judicari in cibo & potu; sed palam edicit, si quis etiam posterioribus temporibus, (de quibus notanter ac in specie differit, ciborum usum prohibeat, eum esse huic impio impiorum cœtui accensendum. Confer. Hun. in I. Epist. ad Timoth. p. 141. Chemnit. loco antea citato fol. 97.

#### QUAESTIO IIX.

### An Iejunia Papistica sint licita & à DEO approbata?

Et hanc questionem quasi obiter addimus, ubi quidem non insitemur Iejunia sive publica sive privata, generatim in DEI verbo præcepta esse, sed & cum Augustino addimus, certa jejunandi tempora, certosq; modos ac ritus in Novo Testamento nunquam imperari. Privata Iejunia arbitrio & prudentia singulorum Christianorum permittenda sunt; ut quoties singuli sibi necesse esse animadvertunt, sponte sua jejurent, & precibus extraordinariis incumbant, uti 1. Cor. 7. videre est. Publica verò jejunia, toties instituenda, quoties publica necessitas ita postulat, prout exempla Joel. 2. Jon. 3. Item Act. 6. & 13. &c. occur-

occurrunt, Chemnit. l. 4. Concil. Trident. fol. 94. & seqq. Hunnius in cap. 17. Matth. p. 597.

Atque ex hisce Papistica Jejunia impia & scele-  
rata, & proinde neq; à DEO approbata nec ab homine  
observanda esse conficimus.

1. Quia illorum patroni certa tempora describunt.  
Bellarm. l. 2. de Jejunio c. 6. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. *Cum  
tamen D. Apostolus Rom. 14. Coloss. 2. Gal. 4. 5. & die-  
rum & ciborum discrimen tanquam Judaicum & in Novo  
Testamento superstitiosum penitus improbet, & Jejunia liber-  
tati & prudentia Christianorum permittat. Et CHRIS-  
TO salvatori à discipulis Johannis cum proponeretur qua-  
estio, cur ipsi & Pharisei multum jejunarent, ipsius autem di-  
scipuli nequaquam jejunarent, ea fuit à CHRISTO data re-  
sponso. Num possunt filij sponsi lugere quamdiu cum  
eis est sponsus? Aderunt autem dies quum tolletur ab  
eis sponsus & tunc jejunabunt, Matth. 9. vers. 15. Quo re-  
sponso CHRISTUS hoc ipsum innuere voluit; quòd quemad-  
modum nullum statum lugendi tempus, designari potest, ita  
nec statum jejunandi tempus, hoc permittendum Ecclesia, ut  
imperandum sit sed illa praescribat, quemadmodum DEUS  
occasionem ministraverit.*

2. Quia ad jejunium ritè servandum delectum ci-  
borum omninò necessarium esse voluit, & imprimis  
abstinentiam, à carnibus, ovis & lacticiis, &c. Bellarm.  
l. d. c. 4. & 5. Nos negamus I. *Quia Christianis in No-  
vo Testamento nullum ciborum discrimen praescriptum est.  
Rom. 14. 1. Cor. 8. Coloss. 2. Quia CHRISTUS ipse docet  
Matth. 15. quod intrat per os, hominem non inquinare; Et  
Luc. 10. monet pios ut Comedant, quaecumq; ipsis opposita fu-  
erint, II. Doctrina demoniorum est prohibere abstinentiam  
à cibis quo ad conscientiam, I. Tim. 4. v. 3. Cum & nos aliàs*

non negemus, discrimen ciborum, quoad temperantiam, satietatem, ad civiles & politicos fines. 3. Quia synagoga Romana suis jejuniis falsos & à veritate aberrantes fines assignat; nempe ut ijs non modò carnem subigant seu mortificent, & vim spiritus ad precandum & coelestia meditandum excitent, &c. sed & pro peccatis tum nostris tum alienis satisfaciant, DEUM placent, & præmium coeleste promereantur, idq; ex opere non operato sed operantis, Bell. l. d. c. 17. Falsi hi fines sunt. Quia antiquant Christi mortem, quæ est in tota rerum universitate res unica à Deo instituta, ut sit placatoria, meritoria & satisfactoria. 2. Ieiunium ex se est res media & adiaphora, neq; bona neq; mala. Etsi autem ad finem religiosum referatur nempe ad animæ humiliationem, in se ipso tamen boni rationem non habet; sed tantùm respectu finis. Plura vide apud orthodoxos nostros Theologos, nos nunc ad alia.

#### QUÆSTIO IX.

An ornamenta & insignia aurea, argentea, gemmarum, sericorum &c. gestare liceat?

Pro negativâ isthæc facere videntur. I. Quia in quibusdam Scriptura Locis splendidi & preciosi amictus & auri gestatio mulieribus est interdicta. 1. Tim. 2. 9. Volo mulieres in amictu modesto, cum verecundia & castitate ornare semetipsas, non tortis crinibus, aut auro, aut margaritis, aut vestitu sumptuoso, sed, quod decet mulieres, profitentes pietatem per opera bona. Item. 1. Pet. v. 3. Mulierum ornatus sit non externus, qui situs est in plicaturâ capillorum & additione auri, aut in palliorum amictu, &c. II. Propheta Esaias c. 3, v. 18. has vestium elegantias singulatim & in specie damnat.

Verùm pro affirmativâ militant rationes longè majoris



majori smōmenti atq; roboris. I. *Aurum & argen-  
tum sunt dona DEI, & non tantum necessitati, sed et-  
iam decoro & ornamento inserviunt.* II. *Exempla pluri-  
morum hominum habemus, quae harum creaturarum & di-  
vinorum munerum usum licere, evincunt. Verbi gratia, A-  
brahamus per Oeconomum suum mittit ad Rebeccam mo-  
bile aureum, & duas armillas, Gen. 24. vers. 21. quas et-  
iam gestavit vers. 47. Josephus in aula Pharaonis ad decus  
& dignitatem evectus habuit Pharaonis annulum, inditum  
in manum ipsius, & torquem aureum collo ejus appositum, &c.  
Gen. 41. vers. 24. Sic omnes Israelitae in aures aureas gesta-  
runt, Exod. 32. 3. Quae sanè exempla planum & perspicu-  
um faciunt, licitum ac legitimum esse harum rerum usum, pra-  
cipuè apud eos, ad quos pertinent.*

Ad primum argumentum negantis sententiae,  
respondemus à Paulo & Petro, *haec ornamenta non sim-  
pliciter vetari; sed eorum usus in luxu & profusione prohiberi.*  
*Ecclesia enim tempore Apostolorum constitit maximà ex par-  
te, ex tenuissimis obscurissimis, & infimis hominibus. Hac igitur  
illis sunt interdicta: quoniam auri & preciosorum orna-  
mentorum usus nihil aliud est nisi mera luxuria, & profusio  
in illis, qui inferiorem ordinem obtinent.*

Ad alterum dicimus, *damnari à Propheta qua-  
dam vestium ornamenta, quòd illa mulierum superbia, la-  
sciviei, vanitatis & levitatis insignia exstitissent, id quod  
ex versu 6. satis manifestè apparet.*

#### QUAESTIO X.

Nunquid bonâ diætâ vita prolongari  
possit?

Hominem

Hominem necessariò mori, omnibus experientia constat, quippe effatum quoque est Philosophicum: Quæ naturaliter generantur naturaliter quoque corrumpuntur. Et rerum generabilium nulla potentia finita infinito tempore, operari potest. Hoc ergo extra controversiam jam posito? Utrum vitæ terminus diætâ possit prolongari? De illo jam queritur: Negativam Plato in Timæo tueri videtur. Ut & Homerus Odyss. γ. ibi.

ἀλλ' ἤτοι θάνατον μὴ ὁμοιδῶν εἶδε θεὸς ἔπειρ  
καὶ φίλων ἀνδρῶν δύνανται ἀλαλκίμεν.

Opinio hæc etiam homini regeneratio probabilis quodammodo videri posset, accedentibus infallibilibus Scripturae dictis; quorum unicum tantum nobis hæc vice adduxisse sufficiat; quod est Jobi 14. ubi ita legitur: Cuilibet mortalium certum terminum constituisti, quem nemo prætergreditur.

Relinquentes sententiam hanc pro affirmativa stamus, quam sequentibus ita confirmamus.

1. Autoritate Medicorum, Ignorantes namque diætâ rationem citius, quam secundum naturam moriuntur, Galenus, l. 6. de sanitat. tuend.

2. A fine medicinæ, stante hæc fatali necessitate totius medicinae facultas inutilis & inutilis esset; quippe cum huius finis sit, ut homo ab immatura morte liberetur. Imò ex vatum oraculis hoc ipsum quoque deducimus. Etenim legitur 4. Reg. 2. Ezechia vitam in annos quindecim fuisse prorogatam, ut & Esa. 38. Et de impiis viris videlicet dolosis & sanguinum, dicitur, Psal. 55. Non dimidiabunt dies suos. Quid? quòd etiam parentum cultoribus præmij loco vitam longiorem promittat decalogus.

Pro determinatione igitur quæstionis notari potest,

test, **D E U M** quidem omnibus terminum vitæ statu-  
isse, sed non absolutè, sed habita ratione pietatis &  
impietatis, nec immediatè, sed mediantibus princi-  
pijs, & causis naturalibus. *Non ergo vita terminus tam  
fatalis est, ut non prolongari vel abbreviari possit.*

Ad dictum Iobi respondet Hunnius hisce verbis;  
**DEUS** dicitur cuilibet constituere terminum certum. i. ra-  
tione præscientiæ, qua **DEO** certa & infallibilia sunt, quan-  
docunq; enim & quocunq; mortis genere, homo moriatur, illud  
**D E U M** omniscium latere nequit, & si aliter evenisset,  
illud quod **DEUS** præscivisset. **DEUS** etiam definit  
& constituit terminum, non tantum ratione præscien-  
tiæ, sed etiam ratione præordinationis, qua varias ob cau-  
sas intelligi potest, scilicet ratione causarum naturalium,  
vel voluntariarum vel earum, qua forinsecus homini acce-  
dunt.

Instas porro; num is qui morte fortuita interit;  
ante tempus vitæ constitutum intereat? utpote cuna  
diutius vivere potuisset? Respondet idem Theologus: Non  
fortuita esse putemus, qua consilio & volente **DEO** eveni-  
unt, quia secundum Matth. 10. Omnes pili capitis nume-  
rati sunt. De iis autem qui per casum fortuitum occidun-  
tur Moses Exod. 21. vers. 13. affirmat: **DEUM** tradidisse  
eos in manus eorum, qui faciunt eadem coram oculis homi-  
num fortuitam, nihilominus **DEI** providentiâ governa-  
tam. Plura hac de re vide apud D. Hunn. in l. de provi-  
dent. p. 27. *Quæ omnia ut evitemus, ne & nobis talia  
accidant, suppliciter hic **DEUM** oramus, ut nos suo ducat &  
reducatur spiritu, ut in temperantia & castitatis purissimis ca-  
stris stipendia mereri possimus potius, quam ex avaritiis &  
C. avaritiis*

*atruas spurcissimaeq; veneris prostibulis dolorem cum dedeco-  
re, & dedecus cum dolore reportemus. Foxit hoc ille qui est*

Ante omnia, post omnia totus unus  
ipse. Cui sit laus & honor infinitis  
seculis.


F I N I S.




X 2677027

VD 17







B.I.G.

Farbkarte #13

Inches 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 8  
Centimetres

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

TE GRATIA DIVINA.  
M QUÆSTIONUM  
RUM DECAS VI.

De  
**ERANTIA**

*Quam*  
*tebergensium Academia,*  
B. PRÆSIDIO  
*atq; Excellentissimi Viri*

**ICI VELSTENII,**  
Moralis Prof. Publ.  
*endere conabitur*

**FIUS BARNSTORFF.**  
*Julyhoris locoq; consuetis.*

*eneca Epist. 28.*  
*ndum est, & quidem genere mi-*  
*nam otium datur. Debellanda*  
*s voluptates, quæ, ut vides,*  
*q; ingenia rapuerunt.*

**ITTEBERGÆ,**  
*Gormanni, Anno 1610.*

247  
(6)

